



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XXIII. De Delictis Puerorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

## TITULUS XXII.

De

### Collusione detegendâ.

**QUÆRES 1.** Quid sit collusio? Respond.  
**Q** Collusio est *occulta conventio inter actorem & reum, ad desistendum ab accusatione, eo sine facta, ut delicta maneant impunita.* Committitur tam in causis Civilibus quàm Criminalibus, tam temporalibus quàm Ecclesiasticis, tam per partes principales, quàm advocatos & procuratores, quæ collusio cum falsitatem contineat, meritò poenis quibusdam coercenda erat.

**QUÆRES 2.** Quæ sit collusionis poena? Respond. De iure Civili contra procuratores colludentes datur actio mandati, qui poena extraordinariâ puniuntur, & infames efficiuntur. *l. athletas. §. item pravaricator. ff. de his qui notant. infam. & insuper ab officiis suis in perpetuum removentur.* Quòd si Clerici in causis beneficialibus colluserint, beneficiis suis privandi erunt.

## TITULUS XXIII.

De

### Delictis Puerorum.

**QUÆRES. 1.** An delicta infantium vel puerorum puniri debeant? Resp. Pueri propriè dicuntur, qui infantiam id est septimum ætatis annum egressi sunt, annum autem duodecimum si foemella fuerit, vel 14. si mas nondum imple-

K k 3

imple-

impleverunt, *cap. un. de desponsat. impub. in 6.* infantes igitur sunt omnes intra septimum ætatis annum constituti; qui sicut communiter usu rationis careant, sic quoque delinquere non possunt, adeo eorum delicta veniam mereantur, non pœnam. pueri autem quemadmodum sunt doli capaces, sic quoque si deliquerint, pœnis coercendi erunt; cum tamen infirmitas animi eos quodammodo excuset, hinc iudex arbitrio suo pœnam ordinariam poterit moderari.

QUÆRES 2. An ex filiorum delictis teneantur parentes? Respond. Patrem ex delicto filii si pœna corporalis infligenda veniat non teneri, evidens est & indubitatum; at de pœnâ pecuniariâ dubium videri posset, eòquòd aliàs filius frustra conveniretur; verùm hac ratione non obstantè verior est eorum opinio, qui patrem teneri negant, si nec delicti particeps, nec in correctione filii negligens fuerit; æquitati enim repugnat, alienam culpam portare: ideòque si filius propria bona ex quibus pœna persolvi posset, non habeat, aliter plectendus erit, secundùm commune adagium *qui non habet in arcu luat in cute.*

## TITULUS XXIV.

De  
Clerico Venatore.

QUÆRES. An Clericis inhibita sit venatio, & quæ pœna Clerico venatori sit in jure dictata? Respond. Licet iure naturali feræ in sylvis sint primò occupantis, ac propterea cui-

cunque